# AD THEOCRITUM.

(*Continuantur e Mnemosyne* X. *pag.* 228.)

Intolerabilis hiatus est in Idyll. VII. 8.

αἴγειροι πτελέαι τε ἐὔσκιον ἄλσος ἔφαινον.

Fieri potest ut poëta dederit, πτελέαι τε πολύσκιον, ut est apud Apollonium Rhod. IV. 166:

λεῖπεν δὲ πολύσκιον ἄλσος Ἄρηος.

Multos hiatus a scribis eadem incuria invectos nescio quomodo aequissimis animis ferunt poëtarum lectores et editores. Faciles ferunt, ut uno exemplo defungar, in Iliad. Σ. 385:

τίπτε, Θέτι τανύπεπλε, ἱκάνεις ἡμέτερον δῶ.

Reperi alicubi in Scholio Marciani Codicis A veram lectionem, quae haec est:

τίπτε, Θέτις τανύπεπλος, ἱκάνεις ἡμέτερον δῶ.

Contra Graecorum constantem usum editur VII. 21:

Σιμιχίδα, πᾷ δὴ τὺ μεσαμέριον πόδας ἕλκεις;

nempe omnes, ubi pars diei significatur qua quis quid facere dicitur, in tali re adiectivis, non adverbiis, utuntur. Tres potissimum partes diei indicari solent, ut apud Homerum est Odyss. Φ. 111:

ἔσσεται ἢ ἠὼς ἢ δείλη ἢ μέσον ἦμαρ.

itaque dicitur quis facere aliquid aut ἠοῖος, ὑπηοῖος, ἑῷος, ἑωθινός, ὄρθριος, aut δειλινός, δειελινός, aut μεσημέριος, μεσημβρινός. Scribendum est igitur, μεσαμέριος πόδας ἕλκεις, ut dudum Toupius plaudente Valckenaerio coniecit. Μεσαμέριος Dorice dicitur, ut in Attica μεσημβρινός apud Aristophanem in Vesp. 774:

κἂν ἔγρῃ μεσημβρινός,

id est *sub meridiem*. Sic pro ὑπὸ τὴν ἕω, ὑπὸ τὸν ὄρθρον Epici poëtae ἠοῖος et ὑπηοῖος solent dicere, Tragici ἑῷος et ἑωθινός, Comici et populus ὄρθριος. Leve mendum obiter exime ex Hymno in Mercurium vs. 17:

ἠῷος γεγονὼς μέσῳ ἤματι ἐγκιθάριζεν,
ἑσπέριος βοῦς κλέψεν ἑκηβόλου Ἀπόλλωνος.

ubi ἠοῖος scribendum; quod autem Schneidewinus reponebat μ ε σ σ η μ ά τ ι ο ς κιθάριζε, non est Graecum. Confundit sermonem Epicum et Tragicum Callimachus ubi scribit in fragm. 52:

ἑσπέριον φιλέουσιν ἀτὰρ ϛυγέουσιν ἑῷον.

Comicorum est ὄρθριος, ut apud Aristophanem in Lysistr. 60:

ἐπὶ τῶν κελήτων διαβεβήκασ' ὄρθριαι.

et Pherecratem Athen. p. 263 B.

εἶτα πρὸς τούτοισιν ἦλουν ὄρθριαι τὰ σιτία.

et saepius alibi. Contrarium est ἑσπέριος pro ὑπὸ τὴν ἑσπέραν. Coniunxit utrumque Theognis vs. 863:

ἑσπερίη τ' ἔξειμι καὶ ὀρθρίη αὖθις ἔσειμι.

Notus est Callimachi versus de Ptolemaeo Hymn. in Iovem vs. 87:

ἑσπέριος κεῖνός γε τελεῖ τά κεν ἦρι νοήσῃ,

cui satis inepte homo puerilis hunc addidit:

ἑσπέριος τὰ μέγιϛα, τὰ μείονα δ' εὖτε νοήσῃ.

Sic Thetis, quae ἦρι ad Iovem in coelum venit,

ἠερίη ἀνέβη μέγαν οὐρανόν,

in Iliad. A. 497. Quod quis *interdiu* facit dicitur ἠμάτιος facere, quod *noctu* ἐννύχιος, quod *toto die* πανημέριος, quod *per totam noctem* παννύχιος, quod *sub mediam noctem* μεσονύκτιος. Sic χθιζός ponitur apud Homerum noto loco:

χθιζὸς ἔβη κατὰ δαῖτα,

et saepe apud omnes δευτεραῖος, τριταῖος cet. et ποϛαῖος. Eadem analogia dicebatur πολλοϛαῖος, cuius rei unicum quod supererat exemplum a Criticis iugulatum est et sine mora in integrum restituendum. Legitur in Crameri Anecd. Paris. I. p. 369: τριακοϛὸς τριακοϛαῖος. οὕτω καὶ παρὰ τὸ πολλὸς πολλοϛὸς καὶ πολλοϛαῖος, παρὰ Εὐβούλῳ· καὶ μὴν οἴκαδε τι πολλοϛαῖος ἀποτρέχω γύναι. ubi Nauckius πολλοϛιαῖος coniecit, quod Meinekius incautius probavit: nempe πολλοϛιαῖος

eiusdem monetae est atque δευτεριαῖος. Locum Eubuli sic constituerim:

καὶ μὴν οἴκαδε
(ἐνθένδε) πολλοςαῖος ἀποτρέχω, γύναι.

Eodem modo dicitur quis κνεφαῖος ἐλθεῖν et σκοταῖος, qui *sub crepusculum* venit aut *sub tenebras obortas*. Mirantur talia Graeculi et interdum manum non abstinent. Quemadmodum igitur Homerus dixerat πανημέριος πολεμίζει, et Euripides in Ione vs. 122:

σαίρω δάπεδον θεοῦ πανημέριος,

sic Theocritus dederat:

Σιμιχίδα, πᾶ δὴ τὺ μεσαμέριος πόδας ἕλκεις;

Prorsus eiusdemmodi error duobus aliis apud Theocritum locis commissus est: XIII. 69:

ἱςία δ' ἡμίθεοι μεσονύκτιον ἐξεκάθαιρον.

et XXIV. 11:

ἆμος δὲ ςρέφεται μεσονύκτιον ἐς δύσιν ἄρκτος.

Videturne tibi μεσονύκτιον adverbii loco poni posse pro ἀμφὶ μέσας νύκτας? Qui hoc statuet sine ullo exemplo et sine ulla analogia sic statuet. Quin igitur reponimus id quod certa analogia suggerit et usus. Ut Euripides in Hecuba vs. 914 dixit μεσονύκτιος ὠλλύμαν, sic bis Theocritus scripsit, μεσονύκτιοι ἐξεκάθαιρον, et ςρέφεται μεσονύκτιος ἐς δύσιν. Evasit sine mendo hoc loquendi genus in eodem Theocriti carmine XIII. 33:

ἐκβάντες δ' ἐπὶ θῖνα κατὰ ζυγὰ δαῖτα πένοντο
δειελινοί,

id est ὑπὸ τὴν δείλην, pro quo δειλινοί alii dicebant, ut μεσημβρινοί. Comicus incertus apud Scholiast. ad Sophocl. Aiac. vs. 257:

ἀλλ' ἔπεσε ταχέως, δειλινὸς γὰρ ἤρξατο.

Illud ipsum δειλινός Theocrito reddendum est XXI. 39, ubi editur:

δειλινὸν ὡς κατέδαρθον ἐπ' εἰναλίοισι πόνοισιν,

imo vero δειλινός. Intactum evasit ἀκρόνυχος Berenic. 3:

σφάζων ἀκρόνυχος ταύτῃ θεῷ ἱερὸν ἰχθύν.

Adiectivis in — αῖος aliquoties Theocritus utitur, veluti X. 12:

ἀλλ' ἐγώ, ὦ Μίλων, ἔραμαι σχεδὸν ἐνδεκαταῖος.

ad quem locum Meinekius stolidam Graeculorum interpretationem apposuit, unde apparet istorum aetate illas formas olim usu exemtas fuisse et prorsus obsoletas, ut a nullo amplius intelligerentur. Singulare est quod dedit Theocritus II. 4:

ὅς μοι δωδεκαταῖος ἀφ' ὧ τάλας οὐδὲ ποθίκει.

et vs. 157:

νῦν δέ τε δωδεκαταῖος ἀφ' ὧ τέ νιν οὐδὲ ποτεῖδον.

in quibus Theocritus, ut in multis aliis, communem Graecorum omnium loquendi usum audacius quam elegantius novavit, de qua re alibi dabitur dicendi locus.

Theocr. Idyll. VII. 95:

ἀρξεῦμ', ἀλλ' ὑπάκουσον, ἐπεὶ φίλος ἔπλεο Μούσαις.

in his pervulgato scribarum errore confusa sunt duo verba, quae veteres certo ac perpetuo discrimine distinguebant, ὑπακούειν et ἐπακούειν. Qui *vocatus respondet* aut *venit* ὑπακούει, qui *praebet aurem* ἐπακούει, eodemque modo ὑπήκοος et ἐπήκοος inter se differunt. Theocr. VIII. 25:

ἀλλὰ τίς ἄμμε (L. ἁμὲ) κρινεῖ; τίς ἐπάκοος ἔσσεται ἁμέων;

Itaque emendandum est, ἀλλ' ἐ π ά κ ο υ σ ο ν. Respondent sibi inter se καλεῖν et ὑπακούειν, ut apud Theocr. XIII. 58:

τρὶς μὲν Ὕλαν ἄ ϋ σ ε ν ὅσον βαθὺς ἤρυγε λαιμός,
τρὶς δ' ἄρ' ὁ παῖς ὑ π ά κ ο υ σ ε ν. ἀραιὰ δ' ἵκετο φωνά.

Hinc corruptissimo Bionis loco I. 95:

χαὶ μοῦσαι τὸν Ἄδωνιν ἀνακλαίουσιν Ἄδωνιν,
καί μιν ἐπαείδουσιν, ὁ δέ σφισιν οὐκ ἐπακούει,

aliqua lux affulgebit si reposueris:

καί μιν ἐπαγκαλέουσιν, ὁ δέ σφισιν οὐχ ὑπακούει.

sed evidens imprimis vitium est et certa medicina apud Theocr. VIII. 28:

χοὶ μὲν παῖδες ἄϋσαν, ὁ δ' αἰπόλος ἦνθ' ἐπακούσας,

ubi ἐπακούσας non minus ineptum est ac si κόψαντός τινος τὴν θύραν ianitor diceretur ἐπακοῦσαι pro ὑπακοῦσαι. Itaque ὁ αἰπόλος ἦνθ' ὑπακούσας, et vocatus respondit puerisque morem gessit, quod quum ex corrupta scriptura non satis appareret sero natus Graeculus Theocrito hunc pannum assuit:

χοὶ μὲν παῖδες ἄειδον, ὁ δ' αἰπόλος ἤθελε κρίνειν.

in quibus ἤθελε κρίνειν ne significat quidem id quod interpo-

lator volebat dicere, nempe ὑπήκουσεν. Quam frequens sit illorum verborum confusio apud scriptores cuiuslibet aetatis saepius multis exemplis demonstravimus.

Theocr. VII. 97:

ἦ γὰρ ὁ δειλὸς
τόσσον ἐρᾷ Μυρτοῦς, ὅσον εἴαρος αἶγες ἔρανται.

credo dedisse poëtam ἐρῶντι pro ἔρανται, qua forma iterum utitur IX. 13:

ὅσσον παῖδες ἐρῶντι πατρὸς καὶ ματρὸς ἀκούειν.

Scilicet in huiuscemodi comparatione et oppositione eleganter *idem* verbum in alia persona repetitur, ἐρᾷ — ἐρῶντι, multoque minus venustum est aut eiusdem potestatis aliud verbum ponere aut verbi eiusdem formam diversam. Terminatio verborum — ται in Codd. scribitur eo compendio, ut ται an τι scriptum sit vix oculis discerni possit: quo facilius Doricum ἐρῶντι in vulgarem formam abire potuit.

Theocr. VIII. 13:

καὶ τίνα θησεύμεσθ', ὅτις ἁμῖν ἄρκιος εἴη;

manifesto mendosum est θησεύμεσθα, quoniam ipsa rei natura usu omnium confirmata τίθημι requirit, ut vs. 14, μόσχον ἐγὼ θησῶ, et vs. 15, οὐ θησῶ ποκα ἀμνόν, et vs. 20, ταύταν κα θείην, et passim apud alios. Itaque in hunc modum emendandum esse censeo:

καὶ τίνα δὴ θησεῦμες, ὅς ἁμῖν ἄρκιος εἴη;

ubi semel δή excidit, infelix coniector vulgatam excogitavit.

Theocrit. VIII. 43 et 48 pro αἰ δ' ἂν ἀφέρπῃ, mirum ni poëta dederit id quod et caeteri omnes Dorienses et ipse constanter scribere solet, αἰ δέ κ' ἀφέρπῃ. Pro ἐὰν δέ Dorienses perpetuo omnes olim αἰ δέ κε vel αἰ δέ κα dicebant, sed qui αἰ δ' ἄν dixerit Doriensium non memini me audire quemquam.

Theocr. X. 1:

Ἐργατίνα Βουκαῖε, τί νῦν, ᾡζυρέ, πεπόνθεις;
οὔτε τὸν ὄγμον ἄγειν ὀρθὸν δύνᾳ.

eodem genere erroris, quem supra indicavimus, πεπόνθεις

scriptum est pro πέπονθας. In Theocriti artificiosa dictione multa ex diversissima Graecitatis aetate contexta sunt, multaque Doricis Ionica et Attica intertexta, quale est δύνᾳ pro δύνασαι. Τί πέπονθας; frequens est Atticis in ore, praesertim, ut apud Theocritum, in reprehensione et obiurgatione. Scriptura πεπόνθεις pro πέπονθας orta est ex pervulgata opinione eorum, qui Syracusanos tradunt „*saepissime perfecta in praesentium formam redegisse, ut δεδοίκω, ὀλώλω pro δέδοικα, ὄλωλα dicerent et inde reliquas formas derivarent*," ut scribit Ahrensius Dial. Dor. p. 329. Illis igitur πεπόνθεις, λελόγχει, ὀπώπει, πεφύκει, cet. perfecta Syracusana esse videntur et optime sese habere. Quid de istorum opinione iudicandum sit unusquisque colliget ex iis quae undique sedulo Ahrensius conquisivit, qui quamquam non dubitat quin verissima sit illa observatio tamen, „*solum singularem ea mutatione tangi*" arbitratur, et „*ne in singulari quidem Siculos semper terminationes praesentis adscivisse.*" Concedit δεδοίκαμες, τεθνάκαμες, ἑστάκαντι, κεχάνακαντι, ἐκπεφάνακαντι et similia ut apud caeteros sic apud Syracusanos quoque *sola* in usu fuisse. Concedit πέποσχε, τέτριγε, ἕστακε, οἶδε, ἔοικας, ἔοικε, βέβριθεν et multa alia eiusdem formae apud Sophronem, Epicharmum et Theocritum sine vitio legi; quid igitur aliud superest, quo illam observationem tuearis, praeter locos quosdam aut scribarum oscitantia corruptos aut sciolorum temeritate interpolatos? Qui ne constant quidem sibi, namque — εις, — ει et — ης — η temere commiscent, πεπόνθης, ὀπώπη, λελόγχη, πεφύκη scribentes, quae omnia barbara sunt si πέπονθα, ὄπωπα cet. more Syracusano in *praesentis* formam redacta fuerunt.

Praeterea nusquam ea comparent quae isti afferunt πεποιήκω, ὀλώλω, πεποίθω. Δεδοίκω solum reperitur apud Theocritum XV. 58:

ἵππον καὶ τὸν ψυχρὸν ὄφιν ταμάλιστα δεδοίκω.

sed quia δεδοίκαμες Theocritum scripsisse I. 16 omnium consensu constat, eundem cum caeteris omnibus δέδοικα dixisse tuto credemus. Si quis autem Heraclidae (quem auctorem in ea re sequitur Eustathius apud Ahrens. l. l.) incredibilem levitatem compluribus apud Eustathium locis animadverterit, (neque caeteri testes sunt multo locupletiores) facile mecum

sentiet, inane hoc esse sequiorum commentum, quod nescio quis olim finxit ad formam ac significationem verbi *ἥκω* explicandam, in quo perfecti notio cum praesentis forma coniuncta est, ut in *οἴχομαι*. Qui non nesciunt quam multa alia eodem modo isti magistelli commenti sunt de nihilo, eodem referet morem Syracusanorum, ipsis Syracusanis inauditum, quo perfecta in praesentium formam redigebant scilicet.

Theocrit. X. 30:

*καὶ τὸ ἴον μέλαν ἐστὶ καὶ ἁ γραπτὰ ὑάκινθος,*
*ἀλλ' ἔμπας ἐς τὼς στεφάνως τὰ πρᾶτα λέγονται.*

non capio quid sit *τὰ πρᾶτα λέγονται* de floribus dictum, unde nectantur coronae. Intelligerem *τὰ πρᾶτα φέρονται* de floribus, quorum in coronis sertisque praecipuus usus sit, quique caeteris omnibus anteponantur, quo sensu *φέρεσθαι τὰ πρῶτα*, *primas ferre*, plurimorum usu tritum est.

Theocrit. X. 56.

*μὴ 'πιτάμῃς τὰν χεῖρα κ α τ α π ρ ί ω ν τὸ κύμινον,*

imo vero *διαπρίων*, ut rei natura postulat. Vera lectio et apud Stobaeum exstat et ex Iuliani loco, ut supra ostendimus, confirmatur in Caesaribus. Iulianus enim, qui multum Theocriti carminibus delectabatur, hunc ipsum locum expressit quum scriberet in Caesaribus p. 312 A: *βαβαῖ τῆς σμικρολογίας. εἶς εἶναί μοι δοκεῖ τῶν δ ι α π ρ ι ό ν τ ω ν τὸ κύμινον.* *Καταπρίειν* et *διαπρίειν* eodem modo inter se differunt ut *κατατέμνειν* et *διατέμνειν*, *κατακόπτειν* et *διακόπτειν*, *κατασχίζειν* et *διασχίζειν* et similia, in quibus *κατά* ponitur si quid in *plures* partes comminuitur, finditur, scinditur, *διά* si quid in *duas* partes dissecatur aut diffinditur. Itaque *διαπρίειν τὸ κύμινον* scitum et venustum est, *καταπρίειν* locum nullum habet. Alium Theocriti locum lepide in rem suam convertit Iulianus in Misopogone p. 338 D. *ὁ πώγων — οὐκ ἐπιτρέπων καθαρὰ λείοις καὶ διὰ τοῦτο οἶμαι γλυκερωτέροις χείλεσι χείλη προσμάττειν, ὅπερ ἤδη τις ἔφη τῶν ἐργασαμένων σὺν τῷ Πανὶ καὶ τῇ Καλλιόπῃ εἰς τὸν Δάφνιν ποιήματα.* Theocritum dicit, cuius haec verba sunt XII. 32:

*ὅς δέ κε προσμάξῃ γλυκερώτερα χείλεσι χείλη.*

unde perperam Meinekius apud Iulianum *γλυκερώτερα* pro *γλυκερωτέροις* reponebat.

Theocr. XIII. 11:

*οὔθ' ὁπόχ' ἁ λεύκιππος ἀνατρέχει ἐς Διὸς ἀώς.*

Soloeca oratio erit donec correxeris *ἀνατρέχοι*. In vicinis nil peccatum. Reposuit optativum Schaeferus, cui obloquitur Meinekius quia non meminit *ὁπόκα*, ut *ὁπότε* apud caeteros, *quoties* significare et sic optativum requirere.

Quod recepit Meinekius XIII. 19:

*ἵκετο χὠ ταλαεργὸς ἀνὴρ ἐς ἀφνειὸν Ἰωλκόν*
*Ἀλκμήνας υἱός.*

posthabendum erat aliorum librorum scripturae,

*ἵκετο χὠ ταλαεργὸς ἐς ἀφνειὰν Ἰαωλκόν,*

quia coniungenda sunt *ὁ ταλαεργὸς Ἀλκμήνας υἱός*.

Theocr. XIII. 29:

*Ἑλλάσποντον ἵκοντο νότῳ τρίτον ἆμαρ ἀέντι.*

Quod Valckenaerius dativum *νότῳ* ex more Theocriti positum esse dixit recte Meinekius reprehendit. Dativus omnium Graecorum more constanter in talibus ponitur, ut apud Herod. VI. 139. in noto Lemniorum ad Athenienses dicto: *ἐπεὰν βορέῃ ἀνέμῳ αὐτημερὸν νηῦς ἐξανύσῃ ἐκ τῆς ὑμετέρης ἐς τὴν ἡμετέρην τότε παραδώσομεν*, quibus similia leguntur passim apud omnes.

Theocrit. XIII. 35:

*ἔνθεν βούτομον ὀξὺ βαθύν τ' ἐτάμοντο κύπειρον.*

reponenda est forma Dorica *κύπαιρον*, namque sic Dores pro *κύπειρον* dixisse et alii docuerunt et Eustathius p. 1648, 7, laudato Alcmane, quem et *κυπαιρίσκον* dixisse constat.

Theocrit. XIII. 47:

*πασάων γὰρ ἔρως ἀπαλὰς φρένας ἀμφεδόνησεν.*

a poëta profectum esse suspicor *ἀταλὰς φρένας*, non *ἀπαλάς*. Ἁπαλός ad corpus refertur molle ac tenerum, *ἀταλός* ad animum, ut apud Homerum Iliad. Σ. 567:

Παρθενικαὶ δὲ καὶ ἤϊθεοι ἀταλὰ φρονέοντες.

unde ἀταλόφρων et ἀταλόψυχος. Saepe confunduntur ἁπαλαί et ἀταλαί, saepe ἀταλά, ἁπαλά et ἁπλᾶ. Apud Hesychium v. Ἀταλοῖς: νηπίοις, ἁπαλοῖς, ἁπλοῖς expungendum est ἁπλοῖς ex dittographia natum. Confusa sunt, ut saepe alibi, Z et T apud Hesychium v. Ἀζάλαι: νέαι καὶ ἁπαλαί, qui Ἀταλαί dare debuerat. Ἀταλόν sine mendo evasit apud Moschum II. 78:

παρθενικῆς τ' ἐθέλων ἀταλὸν νόον ἐξαπατῆσαι.

cf. Ruhnkenium ad Hymn. in Cererem vs. 24.

Theocr. XIII. 51:

ναύταις δέ τις εἶπεν ἑταίροις.

miror non omnibus placuisse Brunckii coniecturam ναύτας δέ τις.

Theocrit. XIII. 54:

νύμφαι μὲν σφετέροις ἐπὶ γούνασι κοῦρον ἔχοισαι
δακρυόεντ' ἀγανοῖσι παρεψύχοντ' ἐπέεσσι.

haud scio an una litterula exemta et adiectivo in participium refickto scribendum sit δακρύοντ' pro δακρυόεντ'. Δακρυόεις enim idem significat atque δεδακρυμένος sive κεκλαυμένος diciturque de eo, qui oculis sit ex fletu turgentibus etiamsi flere desierit. Nymphae Hylam *flentem* dulcibus alloquiis solabantur.

Quemadmodum δακρύοντ' in δακρυόεντ' abiit, sic in Hymno in Cererem vs. 426 in Codice legitur κροκόεντα γάνον pro κρόκον τ' ἀγανόν.

Theocr. XIII. 64:

Ἡρακλέης — ἐν ἀτρίπτοισιν ἀκάνθαις
παῖδα ποθῶν δεδόνητο, πολὺν δ' ἐπελάμβανε χῶρον.

Quid faciemus isto plusquamperfecto δεδόνητο? Et quid omnino sibi vult verbum δονεῖσθαι *quati*, *concuti*, *agitari* in tali argumento? Nihil, ut equidem opinor. Rei optime conveniret imperfectum δινεῖτο, quod de iis dicitur qui aliquem locum in omnes partes obeunt praesertim quaerentes aliquid et undique investigantes, ut in Odyssea I. 153:

νῆσον θαυμάζοντες ἐδινεόμεσθα κατ' αὐτήν.

Itaque δινεῖσθαι est κύκλῳ πάντα περιιέναι, quod quam commode Hercules amissum Hylam undique quaerens fecisse dicatur perspicuum est. Caeterum totus hic locus misere habitus est nonnullis amissis caeterisque male inter se haerentibus scripturaque non uno in loco pessime corrupta et interpolata. Credat qui poterit sanum hominem hos versus pangere potuisse:

ὡς δ' ὁπότ' ἠϋγένειος ἀπόπροθι λὶς ἐσακούσας
νεβροῦ φθεγξαμένας τις ἐν οὔρεσιν ὠμοφάγος λίς
ἐξ εὐνᾶς ἔσπευσεν ἑτοιμοτάταν ἐπὶ δαῖτα.

Quis credat poëtam tam infantem fuisse ut λίς sic iteraret, et inficetum illud τις sic interponeret, aut omnino adderet? Conclamata haec sunt et deposita. Praeterea miram comparationem vides. Hercules voce deceptus Hylam, qui prope erat, procul quaerens comparatur cum leone, qui hinnulei voce in montibus audita ex lustro provolat ad certam praedam et *paratissimam dapem*. Non sunt duae res magis inter se dissimiles, verum has difficultates et molestias animadvertere et notare possumus, removere et tollere non possumus.

Theocrit. XIII. 70:

ὁ δ' ᾇ πόδες ἄγον ἐχώρει
μαινόμενος. χαλεπὰ γὰρ ἔσω θεὸς ἧπαρ ἄμυσσεν.

Iterum importuna litterula eximenda esse videtur scribendumque μαιόμενος, id est ζητῶν. Sic demum recte causa cur ita faceret in sqq. redditur. Quaerere Hylam non destitit, *nam* Venus torrebat iecur. Quod nunc editur fere est huiusmodi ac si dixisset, μαινόμενος, ἐμαίνετο γὰρ ὑπ' ἔρωτος, id quod unusquisque etiam tacente poëta satis poterat suspicari.

Paene gemellus locus est in Hymno in Cererem vs. 44 de Cerere filiam quaerente:

σεύατο δ' ὥς' οἰωνὸς ἐπὶ τραφερήν τε καὶ ὑγρὴν
μαιομένη.

Theocrit. XIV. 20:

ἄμμες μὲν φωνεῦντες ἐπίνομες, ὡς ἐδέδοκτο.

male haec ἀσυνδέτως proferuntur, scribendumque χἀμὲς μὲν φωνεῦντες. Ἄμμες et ἄμμε in Dorico carmine ferri non

posse, quemadmodum neque ὕμμες et ὕμμε, supra iam verbo monuimus. Certum est Dores constanter dixisse ἁμές et ἁμέ, ὑμές et ὑμέ; certum est etiam scribas Homeri memores identidem de suo Homericas formas Doricis substituere. Disertissima testimonia et exempla composuit Ahrensius de Dial. Dor. p. 258 sqq. et est operae pretium librorum MSS. sublestam fidem in hac clara luce arguere. Apud ipsum Apollonium περὶ Ἀντωνυμίας p. 119 B. ubi docet Dorienses ὑμές dixisse, Aeoles ὕμμες, scriba alias res agens pro ὑμές supposuit ὕμμες. Quid istos alibi peccasse putemus, qui ne in tali quidem loco satis caverunt? In locis Aristophanis dudum sana lectio restituta est, ubi Ravennas ἄμμες, ἄμμε, ἁμές, ἁμέ, ὕμμες aut ὑμμέ exhibuit. Eadem medicina ubique in Doricis utendum, sicubi apud Theocritum et alios deprehendemus scribas ad consuetum errorem delapsos. Exsules ab Arato revocati statuam illi ex aere posuerunt, cui subscripsisse dicuntur a Plutarcho Arat. XIV:

ἄμμες δ' εἰκόν', Ἄρατε, τεὰν νόστοιο τυχόντες
στάσαμεν ἀντ' ἀρετᾶς ἠδὲ δικαιοσύνας,

sed ipsi, credo, dederant Dorice ἁμές et στάσαμες.

Theocr. XIV. 31:

ἁ δὲ Κυνίσκα
ἔκλαεν ἐξαπίνας.

non potest in ἔκλαεν media corripi, quamobrem ἔκλα' ἐξαπίνας scriptum oportuit. Sic antea edebatur XV. 40:

δάκρυε ὅσσ' ἐθέλεις· χωλὸν δ' οὐ δεῖ τὺ γενέσθαι.

nunc recte δάκρυ' ὅσσ' ἐθέλεις.

Theocrit. XIV. 57:

ὤφελε μὰν χωρεῖν κατὰ νοῦν τεὸν ὧν ἐπεθύμεις,
Αἰσχίνα· εἰ δ' οὕτως ἄρα σοὶ δοκεῖ ὥστ' ἀποδαμεῖν
μισθοδότας Πτολεμαῖος ἐλευθέρῳ οἷος ἄριστος.

Particulam μάν non admittit loci sententia, quae manifesto μέν requirit, ut constanter in talibus μέν et εἰ δέ, vel εἰ δ' ἄρα, inter se opponuntur. Similis locus est in Xenophontis Anab. II. I. 4: ἀλλ' ὤφελε μὲν Κῦρος ζῆν, ἐπεὶ δὲ τετελεύτηκεν κτέ.

Theocrit. XV. 82:

ὡς ἔτυμ' ἑστάκαντι καὶ ὡς ἔτυμ' ἐνδινεῦντι.

ut supra vidimus δινεῖσθαι dici pro ἀναστρέφεσθαι, sic hoc loco ἐνδινεῦνται requiritur pro ἐνδινεῦντι. Passim hae terminationes in Codd. inter se permiscentur. Pro κέονται V. 129 e Codice κέοντι affertur, quod nemo recipiet. Sic VII. 23 ἠλαίνονται et ἠλαίνοντι confunduntur, similiaque alibi. Cf. XV. 115 ubi πονέονται non sine causa in πονέοντι nonnulli refingunt.

Theocr. XV. 113:

πὰρ δ' ἁπαλοὶ κᾶποι πεφυλαγμένοι ἐν ταλαρίσκοις
ἀργυρέοις.

Semper mihi in his πεφυλαγμένοι vitiosum et corruptum visum est. Horti Adonidis in talaris argenteis non erant *custoditi* aut *servati*, sed *consiti*, πεφυτευμένοι. Qui Codices Graecos triverunt sciunt quam sint inter se similes nexus, quibus αγ et ευ scribi solent.

Theocr. XV. 100:

Δέσποιν', ἃ Γολγώς τε καὶ Ἰδάλιον ἐφίλησας.

laboranti metro subvenies optime et poëtae suam manum reddes scribendo, Ἰδάλιον πεφίληκας, quod eodem modo dictum est ut apud Homerum, ὃς Χρύσην ἀμφιβέβηκας. Notus est locus Pindari:

ὅσσα δὲ μὴ πεφίληκε
Ζεύς, ἀτύζονται βοὰν
Πιερίδων ἀΐοντα.

Theocrit. XVI. 3:

Μοῦσαι μὲν θεαί ἐντι, θεοὺς θεαὶ ἀείδοντι,
ἄμμες δὲ βροτοί, οἱ δὲ βροτοὺς βροτοὶ ἀείδοντι.

restituet locum correcta interpunctio in hunc modum:

ἀμὲς δὲ βροτοὶ οἵδε, βροτοὺς βροτοὶ ἀείδοντι.

Saepissime in tali re dicitur ἐγὼ ὅδε, ἡμεῖς οἵδε, ἡμεῖς οὑτοιί. Nunc demum loci concinnitas integra est. Solent quidem poëtae Alexandrini ineptum in modum articulum a suo nomine disiungere, sed articulo in his verbis locus non erat. Venuste inter se opponuntur θεοὺς θεαί et βροτοὺς βροτοί.

Theocrit. XVI. 72:

πολλοὶ κ ι ν ή σ ο υ σ ι ν ἔτι τροχὸν ἅρματος ἵπποι.

non est sanum κινήσουσιν. Axis vel rota non *movetur*, sed *versatur*: non κινεῖν sed ϛρέφειν requiritur. Quin tu ergo reponis:

πολλοὶ δ ι ν ή σ ο υ σ ι ν ἔτι τροχὸν ἅρματος ἵπποι.

Theocr. XVI. 98:

ὑψηλὸν δ' Ἱέρωνι κλέος φορέοιεν ἀοιδοὶ
καὶ πόντου Σκυθικοῖο πέραν.

Emendandum est ἀοιδαὶ pro ἀοιδοί. Poëtae toto orbe *cantabantur*, non *vagabantur*.

Theocr. XVIII. 11:

ἦ ῥά τις ἐσσὶ λίαν βαρυγούνατος; ἦ ῥα φίλυπνος;
ἦ ῥα πολύν τιν' ἔπινες, ὅτ' εἰς εὐνὰν κατεβάλλευ;

o absurdam lectionem, ἦ ῥα πολύν τιν' ἔπινες! Quis serio credet umquam πίνω πολύν τινα sanam et Graecam orationem esse? In re tam simplice et expedita non est arduum simul reperire quid dici debuerit et quid sit a poëta profectum. Inepte abundat τινα, nullo modo abesse potest οἶνον; itaque sponte hic versus nascitur:

ἦ π ο λ ὺ ν ο ἶ ν ο ν ἔπινες ὅτ' εἰς εὐνὰν κατεβάλλευ;

scripsi ἦ non ἦ, quia hanc novam suspicionem iocantes puellae opponunt iis quae prius in Menelaum iecerant. *Profecto tu iners et somnolentus homo es*, inquiunt, *aut multo vino gravatus*. Ubi semel οἶνον (οἶν cum gravi ον significante) in τιν' erat depravatum, corrector de noto illo grege criticastrorum metrum ita restituit ut pessumdaret omnia.

Theocr. XII. 60:

ἔλθοις καὶ ξενίων γε τυχὼν πάλιν οἴκαδ' ἱκάνοις.

dicet aliquid Pollux ubi κε pro γε repositum erit. Ἔλθοις apud istos imperativi notionem habet. Itaque benigne dixit: ἐλθὲ πρὸς ἡμᾶς καὶ τυχὼν ξενίων ἐπανήξεις οἴκαδε. Sic demum Amycus truculentum responsum dare potuit:

μήτε σύ με ξείνιζε, τά τ' ἐξ ἐμεῦ οὐκ ἐν ἑτοίμῳ.

*oblatum* hospitium aspernatur, sed nisi κε restitueris nihil ei Pollux obtulit.

Theocr. XXIII. 18:

καὶ κύσε τὰν φλιάν, οὕτω δ' ἀνενείκατο φωνάν.

non „sic emisit vocem," aut „ita dicta dedit," sed *talem* vocem, *talia* dicta. Quare ita scribendum esse censeo:

τοιάνδ' ἀνενείκατο φωνάν.

Idem restituendum Moscho videtur II. 134 ubi in libris est:

ἀμφί ἑ παπτήνασα τόσην ἀνενείκατο φωνήν,

imo vero τοίηνδ' ἀνενείκατο φωνήν. Recte apud eundem II. 20:

ὀψὲ δὲ δειμαλέην ἀνενείκατο παρθένος αὐδήν.

Theocr. XXIV. 79:

τοῖος ἀνὴρ ὅδε μέλλει ἐς οὐρανὸν ἄςρα φέροντα ἀμβαίνειν.

Mire coelum dicitur ἄςρα φέρειν. Poëta, credo, dixerat quod caeteri poëtae omnes solent, ἐς οὐρανὸν ἀςερόεντα. Vulgata sic nata esse videtur ut Graeculus lacunosum Codicem describens quod expedire oculis non posset levi coniectura expleret.

Duo loci sunt in Idyll. XXV, ubi τὸ παραγεγραμμένον ἰῶτα turbas dedit et corrumpendae scripturae causa exstitit. Nempe in vs. 91:

ἠὲ νότοιο βίῃ ἠὲ Θρῃκὸς βορέαο.

et in vs. 136:

πρῶτοι τοίγε μάχηνδε κατὰ χροὸς ᾗεσαν ὀσμήν.

in priore loco ΘΡΗΙΚΟϹ scribendum κατὰ διαίρεσιν fuerat Θρήϊκος et versus sic constituendus:

ἠὲ νότοιο βίῃ ἢ Θρήϊκος βορέαο.

Poëtae Alexandrini enim media in Θρήϊκος, Θρήϊκι, Θρήϊκα, quam Homerus constanter corripit, suo arbitratu modo longa utuntur modo brevi. Apollonius Rhodius, qui I. 637 dixit:

Θρήϊκας, ἠδ' ἅμα τῇσι Θοαντιὰς Ὑψιπύλεια,

in eodem libro vs. 24 dixerat:

Καλλιόπη Θρήϊκι φατίζεται εὐνηθεῖσα.

In altero loco vetus scriptura HICAN, quum et ipsa κατὰ διαίρεσιν legi debuisset ἤϊσαν, pervulgato scribarum more in HCAN primum, deinde in ᾗεσαν abiit, id quod Meinekium ad h. l. non fugit.

Memorabilis est lectionis discrepantia XXV. 105:

ἄλλος δ' αὖ φίλα τέκνα φίλαις ὑπὸ μητράσιν ἵει
πινέμεναι λαροῖο μεμαότα πάγχυ γάλακτος.

apertissima haec sunt et sanissima, sed plerique Codices pro μεμαότα exhibent πέπληντο δέ. Scilicet lacuna erat inter λαροῖο et πάγχυ, quam nescio quis olim temere explevit de suo. I nunc et haec sine libris restitue. Quod verum est etiamsi quis forte reperisset numquam tamen veri speciem habere potuisset.

Theocr. XXIV. 26:

ἤτοι ὅγ' εὐθὺς ἄϋσεν —
φευγέμεν ὁρμαίνων· ὁ δ' ἐναντίος εἴχετο χερσίν.

Quod mihi pro corrupto εἴχετο semper visum est reponi oportere, idem Meinekio video in mentem venisse, nempe ἵετο.

ὁ δ' ἐναντίος ἵετο χερσίν.

Scribi solebat olim ЄΙЄΤΟ, unde levis Graeculus εἴχετο effinxit. In Idyll. XXII. 87:

αὐτὰρ ὅγ' ἐν θυμῷ κεχολωμένος ἵετο πρόσσω,

pro ἵετο in quodam Codice ἥγετο scriptum est. Ubi litteris parcunt Graeculi spiritum certe vitiant ἵεμαι scribentes et ἵετο, sed nunc neminem amplius decipiunt, nam Burnovius, quique eius sectam sequuntur,

δύςηνοι Μεγαρεῖς οὔτ' ἐν λόγῳ οὔτ' ἐν ἀριθμῷ.

Scripturae ЄΙ pro Ι et alibi apud Theocritum vestigia quaedam deprehenduntur, veluti in γεινόμενον XVII, 75:

ὅν κε φιλήσῃ
γεινόμενον ταπρῶτα.

et XXV, 124:

αἰεὶ δὲ πλέονες —
ἐξ ἔτεος γείνοντο.

ubi scribendum erat γιγνόμενον et γίγνοντο, quae olim ΓЄΙΝΟΜЄΝΟΝ et ΓЄΙΝΟΝΤΟ scribebantur. Meinekius XXII. 74 γεινόμεθα in γινόμεθα Brunckio auctore mutavit. Melius γιγνόμεθα revocasset idque constanter. In vetustis Theocriti libris ЄΙ pro Ι producto scriptum fuisse luculenter apparet e palmaria emendatione loci in Idyll. XXIII. 63, ubi in libris est ϛέργετε δ' ὁ ἱμεῖσ εὔητεσ vel (οι in υ corrupto) ϛέργετε δ'

ὔμεισ εὔητεσ. Acutissime vidit Ahrensius in ΟΙΜЄΙϹЄΥΗΤЄϹ latere οἱ μισεῦντες,

ϛέργετε δ' οἱ μισεῦντες· ὁ γὰρ θεὸς οἶδε δικάζειν.

Theocr. XXIV. 31:

τὼ δ' αὖτε σπείρῃσιν ἑλισσέσθην περὶ παῖδα
ὀψίγονον, γαλαθηνόν, ὑπὸ τροφῷ αἰὲν ἄδακρυν.

non facile exputabis cur Hercules ὀψίγονος dici potuerit. Conieci ἀρτίγονον. Saepe Τ et Ψ confunduntur, et omissa litera initiali ΡΤΙΓΟΝΟΝ a scriba Graeculo alias res agente in ὀψίγονον conversum est.

Graeci ὀψίγονον appellant eum, qui natus est quum parentes iam grandiores natu novae prolis spem deponere coepissent, ut in Hymno in Cererem vs. 218:

παῖδα δέ μοι τρέφε τόνδε, τὸν ὀψίγονον καὶ ἄελπτον
ὤπασαν ἀθάνατοι.

Theocr. XXV. 248:

ὡς δ' ὅταν ἁρματοπηγὸς ἀνὴρ
ὅρπηκας κάμπτῃσιν ἐρινεοῦ εὐκεάτοιο.

pro εὐκεάτοιο e Codicibus Vaticanis affertur εὐκάμπτοιο, quod nonnullis arrisit, sed neutra lectio sana est. Quid dederit poëta colliges e Plutarchi verbis in vita Marcelli cap. 8: δρυὸς γὰρ εὐκτεάνου πρεμνὸν ὄρθιον καὶ μέγα τεμών, ubi plura Interpretes apposuerunt et in his: ὄγχνην εὐκτέανον, quocum optime componetur λέξις Hesychiana: Ἰθυκτέανον: τὸ ἰθὺ πεφυκὸς καὶ ὀρθὸν δένδρον, et alia in v. Εὐθυκτέσαν (Εὐθυκτέανον): εὖ πεφυκυῖαν εἰς ὀρθόν. Eodem retulerim quod apud Hesychium praecedit: Εὐθυκαίνα ἡ σχοῖνος διὰ τὸ εὐθέως κτείνειν. καὶ δύναται εἶναι εὐθυκταίνα. Si quid video, nihil aliud δύναται εἶναι quam Εὐθυκτεάνη σχοῖνος, nisi Ἰθυκτεάνη malis. Ex his igitur colligo Theocrito reddi oportere: ὅρπηκας — ἐρινεοῦ εὐκτεάνοιο, quod rarissimum vocabulum ab aliis corruptum est, ab aliis explicatum εὐκάμπτοιο.

Theocr. XXVII. 22:

δειμαίνω μὴ δή σε κακωτέρῳ ἀνέρι δώσει.

pro δώσει in libris est δώσω vel δώσῃ, quorum quum illud

absurdum esset, hoc prorsus barbarum, docti homines acquieverunt in Schaeferi coniectura δώσει. Nollem factum. Quis vidit umquam μή in tali re cum *futuro* coniunctum? Quis serio credet a Theocrito sic contra certam analogiam perpetuumque omnium usum peccari potuisse? Quid poëta scripserit ita aperiam ut Homeri locum indicem olim eadem labe inquinatum nunc feliciter restitutum. Edebatur in Odyss. Θ. 318:

εἰσόκε μοι μάλα πάντα πατὴρ ἀποδώσει ἔεδνα.

et quamquam satis constabat εἰς ὅ κεν, ut ἕως ἄν, suapte natura *coniunctivum* requirere, nemo tamen in ἀποδώσει offendit: credo, quia Alexandrini poëtae tam saepe εἰσόκεν cum futuro coniunxerant, ut ea res nihil admirationis habere videretur. Percommode laboranti veteri poëtae opem tulit Grammaticus nescio quis, sed unus ex illis veteribus et eruditis Criticis Alexandrinis, cuius annotatio in Codice Marciano A exstat ad Iliad. A. 129:

αἴ κέ ποθι Ζεύς
δῷσι πόλιν Τροίην εὐτείχεον ἐξαλαπάξαι.

Est operae pretium ipsius verba audire: Ζώϊλος ὁ Ἀμφιπολίτης καὶ Χρύσιππος ὁ Στωϊκὸς σολοικίζειν οἴονται τὸν ποιητήν, ἀντὶ ἑνικοῦ πληθυντικῷ χρησάμενον ῥήματι. τὸ γὰρ δῶσι, φασί, πληθυντικόν. ἀγνοοῦσι δέ. ἔςι γὰρ τὸ δῷ ἑνικὸν ἐκτεταμένον, ὡς τὸ λέγῃ λέγῃσι, φέρῃ φέρῃσι. τοιοῦτόν ἐςι καὶ τὸ ἐν Ὀδυσσείᾳ· (A. 168)

(εἴπερ τις ἐπιχθονίων ἀνθρώπων)
φῇσιν ἐλεύσεσθαι.

καὶ τό·

εἰσόκε μοι μάλα πάντα πατὴρ ἀποδῷσιν ἔεδνα.

κἀνταῦθα γὰρ ἀποδῷ. διὸ καὶ τὸ Ι ἔχει προσκείμενον. En poëtae manum ἀποδῷσιν, non ἀποδώσει. Videturne tibi simul Theocriti reperta manus esse:

δειμαίνω μὴ δή σε κακωτέρῳ ἀνέρι δῷσι.

quod nemo mirabitur a futilibus Graeculis male mulcatum esse, ubi viderit quam se turpiter dederint in simili forma Zoilus et Chrysippus.

Vix oculis nostris credimus ubi videmus iam tum fuisse, qui in tam absurdum errorem implicarent sese ut crederent

Ζεὺς δῶσι pro δῷ dixisse poëtam, eique graviter et serio immanem soloecismum exprobrarent. Apparet eos ΔΩCI non ΔΩICI legisse: ergo iam tum τὸ παραγεγραμμένον ἰῶτα a nonnullis coeptum erat omitti. In altero etiam Odysseae loco ΦHCIN olim scriptum fuit, unde Φησὶν ἐλεύσεσθαι, pro Φῇσιν, in omnibus libris erat, donec ab antiquis Criticis meliora doceremur.

In versiculo, qui continuo apud Theocritum sequitur XXVII. 23:

πολλοί μ' ἐμνώοντο, νόον δ' ἐμὸν οὔτις ἕαδε.

vulnus est male a Criticis curatum. In libris est οὔτις ἀείδει. Nae ille nihili homo fuit, qui primus ἕαδε substituit et se sic operae pretium credidit fecisse. In loco tam facili et aperto, in argumento in quo omnium temporum et locorum homines idem sentimus, non est arduum excogitare quid ab ipso Poëta profectum esse videatur. Et de sententia quidem, quae dubia esse non potest, eruditi omnes inter se consentiunt, sed in deligendo verbo, quod lacunam veterem expleat, abeunt diversi. Fuit qui ἔπειθεν reponeret, quod multis placuit et omnes veritatis numeros visum est explere. Meinekius non adiicit calculum, sed de ἄεξε cogitavit, nam θυμὸν ἀέξειν esse *animum alicuius oblectare*. Quaesivit aliquid Meinekius quod ad litterarum ductus in AEIΔEI propius accederet quam ETEPΠEN, in qua re ab illo dissentimus. Nobis ἀείδει videtur temerarium Graeculi supplementum, ut supra vidimus πέπληντο δέ pro μεμαότα. Itaque non apices litterarum curare, sed ex imo sententiae fundo eruere quod ad rem faciat debemus. Non est puellae in tali re dicere „de multis procis qui meas nuptas ambiebant nemo *animum meum oblectabat.*" itaque neque πείθειν, neque τέρπειν, εὐφραίνειν, ἰαίνειν, θυμὸν ἀέξειν, neque quidquam huiusmodi satisfacit, quoniam nihil horum *in re amatoria* habet locum, et perspicuum est dici oportere „sed de his neminem *amabam*," nemo horum animum meum *amore inflammabat*. Hoc ipsum dicendum est et ita dicendum ut virginem decet, quamobrem equidem sic supplendum esse censeo:

πολλοί μ' ἐμνώοντο, νόον δ' ἐμὸν οὔτις ἔθελγεν.

Estne multis verbis opus ut ostendam quam aptum sit sententiae, quam conveniens virgineo animo locutio *νόον δ' ἐμὸν οὔτις ἔθελγεν*? Proprie et exquisite amor dicitur *θυμόν*, *νόον*, *νόημα θέλγειν*, unde *θελξίνοος* et *θελξίφρονες ἔρωτες* appellantur. Praeterea verecundius verbum aliquanto est quam *θάλπειν*, *ἐνθάλπειν*, *φλέγειν*, *ἐξοπτᾶν*, et si qua alia vim amoris et flammam denotare solent. Virginalem animum *mulcet* ac *delinit* amor, quo si non aliud verbum rei accommodatius reperiri poterit, dabis mihi Theocritum quod unum omnium optime dicere potuit id ipsum dixisse videri.

Theocr. XXVII. 60:

*ἄλλαν ἀμπεχόναν τᾶς σᾶς τοι μείζονα δωσῶ.*

cur *μείζονα*? Satius erat *meliorem* polliceri neque *τᾶς σᾶς* probum est, quod ita demum recte ponitur ut alterum pronomen possessivum opponatur. Quamobrem utroque vitio correcto sic legendum esse arbitror:

*ἄλλαν ἀμπεχόναν ταύτας τοι ἀμείνονα δωσῶ.*

Bion IV. 7:

*χὠ παῖς ἀσχαλάων ὄκα οἱ τέλος οὐδὲν ἀπάντη.*

non est sanum *ἀσχαλάων*, non magis quam *ὁράων* aut similia. Aut *ἀσχαλόων* verum est, ut apud Theocr. XXV. 236:

*ἀσχαλόων ὅτι μ' ὁ πρὶν ἐτώσιος ἔκφυγε χειρός.*

aut, quod magis arridet, *ἀσχάλλων*. Facillime enim ΑΣΧΑΛΛΩΝ in *ἀσχαλάων* corrumpi potuit. Eadem de causa in vs. 11 rescribe *μειδιόων* pro *μειδιάων*, et VIII. 1 *ἀντερόωνται* pro *ἀντεράωνται*.

Moschus I. 19:

*τόξον ἔχει μάλα βαιόν, ὑπὲρ τόξω δὲ βέλεμνον.*
*τυτθόν οἱ τὸ βέλεμνον, ἐς αἰθέρα δ' ἄχρι φορεῖται.*

poëta dedisse videtur, *τυτθὸν μὲν τὸ βέλεμνον.*

Ex Meinekii annotationibus duos locos addam, quorum non est integra scriptura. Ad Idyll. V. 2. *σίττ' ἀμνίδες* recte Meinekius composuit *φίττα*, *χύρρα* et *ψύττα*, sed imposuit ei, si quid iudico, vitiosa lectio apud Hesychium in v. *Σῆκα*: *οὕτως ἐπιφθέγγονται οἱ ποιμένες εἰς τὸ συγκλεῖσαι τὰ ποίμνια.*

Probum et genuinum esse arbitror Σῆκαδε, quod formatum est ut οἴκαδε.

Ad Theocr. Idyll. XV. 16 Meinekius attulit hos Mimnermi versiculos e Strabone XIV. p. 634:

ἔνθεν παχνήεντος ἀπορνύμενοι ποταμοῖο
θεῶν βουλῇ Σμύρνην εἵλομεν Αἰολίδα.

ubi repetita sibilante scribendum θεῶν βουλῇς Σμύρνην κτἑ. ut in noto Epigrammate:

Ἀμετέραις βουλαῖς Σπάρτα μὲν ἐκείρατο δόξαν.
*Consiliis nostris laus est attonsa Laconum.*

De Theocriti vitiosa dictione, quae partim ex popularium sermone partim ex antiquis poëtis ita conflata est ut diversa temere in unum miscerentur multaque neque prudenter neque eleganter novarentur, nunc quidem multis disserere non vacat. Meinekius ea, quae olim in *Variis Lectt.* Theocrito obieci, tantum non omnia elevare aut excusare conatus est, sed poëtam in plerisque ita defendit, ut eum multo gravioribus criminibus urgeret. Γεύμεθα (pro γεγεύμεθα), ut scribit ad XIV. 51 „*si poëta e* plebeio *Siciliensium sermone adscivit, nihil habet quod iure reprehendas.*" Ἰδησῶ (pro ὄψομαι) III. 36 ita tuetur ut dicat: „*Quis vero docuit Cobetum, formam illam Theocritum suo* ipsum periculo *finxisse, neque ex populari Siciliensium sermone adscivisse?*" Audi nunc ipsum Meinekium in Supplem. Adnot. p. 488: „*recte dicitur* πολὺν πίνειν — *at* πολύν τινα πίνειν suo periculo *Theocritus dicere ausus est.*" Composui haec ut unusquisque videret quam lubricum et anceps et desultorium sit hoc disputandi genus. In ἐκρίθην ἄπο, ἀπεκρίθην, pro ἀπεκρινάμην, VIII. 74 „*plebeii sermonis vestigia*" agnoscit Meinekius in Supplem. Adnot. p. 479. Ἰχθύα pro ἰχθύν XXI. 45 excusatur „*quum iam Homerus* ἰχθύας *et Hesiodus* βότρυας *dixerint.*" Scilicet „*easdem formas ad singularem numerum transtulerunt poëtae,*" sed haec ipsa causa est cur vehementer sint reprehendendi, nam quid si eodem iure πόλιας, βόας, θήλεας et similia *ad singularem numerum transferre* aliquem collubuisset, videreturne Graece loqui? Neque minus vituperandi forent si ista *ex plebeio sermone* arripuissent, quo poëtas tam eruditos abstinere, credo, oportuit.

Futurum *μαθεῦμαι* nihil Meinekium offendit, qui illam formam ultro obtrudit Moscho I. 6. et Theocrito bellissimum *μεμάθευμαι* XI, 60, „*quam formam ut eiusdem generis alias utrum ipse finxerit Theocritus an ex populari sermone receperit incertum est*," ut scribit Meinekius p. 281. Eadem facilitate excusavit „*supparem aetate poëtam Posidippum*" qui „*ἀπεροῦμαι pro ἀπερήσομαι*" dixit in his:

> *εὐοπλῶ καὶ πρὸς σὲ μαχήσομαι οὐδ' ἀπεροῦμαι*
> *θνητὸς ἐών.*

ubi *ἀπεροῦμαι* non pro *ἀπερήσομαι* dictum est sed pro *ἀπερῶ*, quem foedum et immanem barbarismum esse ipso Meinekio iudice facile vincam. *Εὐοπλῶ* quoque quam ineptum est, *ὦ Μοῦσαι φίλαι*! *Ἴσαμι* pro *οἶδα*, *ἐπίςαμαι* ex Hesychio affertur ad XVI. 146. Fieri potest ut sit ille error Theocrito longe antiquior. Pullulavit autem ex *ἴσασι* (*ἴσαντι*), iudice ipso Ahrensio Dial. Dor. p. 345

Praeter usum *sermonis popularis et plebeii* multa alia in Theocriti dictione Meinekius acerbe reprehendit, veluti ad XV. 134 ubi „*dictionis sanitatem corrupisse*" poëta arguitur, et ad XXI. 49. ubi „*metri necessitate coactus σίδαρα dixit pro σιδάρια.*" quemadmodum ad X. 41 „*ἀνέφυσα metri necessitate coactus dixit*," quasi vero vel mediocris poëta non multis modis idem formare potuisset,

> et male tornatos incudi reddere versus.

„*Soloece poëtam locutum esse*" statuit ad XXI. 59, eique „*falsa analogia*" imposuit, ad XXVII. 55. Quin adeo ad XXI. 45 duriter increpatur „*ob insignem dicendi infantiam*" et ad XXV. 201 „*comparationis absurditas ipsi poëtae relinquenda.*" Itaque fidelis est inter nos concordia de summa rei „*non pauca Theocritum licenter et si vis negligenter locutum esse*," ut Meinekius scribit p. 243. de qua re quum semel inter homines doctos constiterit, singula crimina alii iudices excutient et ponderabunt.

De vitiosa et corrupta poëtarum Alexandrinorum omnium Graecitate ubi primum commodum erit diligentissime agere in animo est.

C. G. Cobet.